

a Græcis antiquis. 4°. GREGORIUS Nazianz., relatus a Gratiano Caus. 1. q. 1. can. 2. simoniace ordinatum ait in sacro ordine nulla ratione permanere posse, quia hunc vendidit, et *nemo retinere potest, quod vendidit*. 3°. S. LEO relatus a Gratiano ibid. can. 1. *Gratia, inquit, si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est; simoniaci autem, etc. Quid ergo dant? quod habent; quid autem habent? spiritum utique mendacii*. Ergo præter hunc etiam nihil conferunt.

Ad 1^{um}. R. Historia Ebbonis potius conclusionem confirmat; omnia enim, quæ in eo Concilio acta fuerant, improbata fuere a Nicolao I. et rescissa; hujus jussu congregatum fuit Conc. Suessionense III. quod ordinatos ab Ebbone dignos pronuntiat, qui suis gradibus restituantur, definitivo judicio reservato Pontifici Nicolao I. qui datis litteris ad Patres Concilii et Hincmarum edicit injuste depositos clericos, et Ebbonem immerito dejectum. Hincmari vero fraudem et versutias reprimat, et severe reprehendit. Nicolao successit Adrianus II. qui scribens ad Synodum Tricassinam acta Nicolai ea in causa confirmavit.

Ad 2^{um}. R. D. Non est verum corpus Christi quoad significationem mysticam, quia significat unitatem C. non est verum in substantia et re N. Similia plura habet Leo M. epist. ad Anatolium. Item Algerus L. 5. de sacram. Corp. et Sanguinis Christi.

Ad 3^{um}. R. 1°. Recentiores Græci, schismate divulsi ab Ecclesia, auctoritatem non habent, nec merentur; sique ordines reiterent, id contra majorum suorum dogma perverse faciunt. Balzamonis auctoritas, utpote etiam schismatici, levis est.

R. 2°. etiam D. Refert id factum a Græcis antiquis ordinatione non sacramentali C. sacramentali *subd.* Si iterandus erat baptismus, ex defectu legitimæ formæ ab hæretico ante invalide collatus C. secus N. Duæ olim erant classes hæreticorum; *prima* eorum qui recipiebantur reiteratione baptismi, quia fuerat nullus defectus formæ; *secunda* eorum qui per solam unctionem admittebantur, juxta Concilium Constantin. I. can. 7. Postea accessit *tertia* eorum, qui nuncupata tantum professione Catholicæ fidei recipiebantur, ut constat ex S. Gregorio L. 9. epist. 61. et antiquis Græcorum Euchologiis; igitur si aliter hodie agant Græci, a majoribus suis recedunt.

Ad 4^{um}. R. 1°. Ea verba nullibi reperiri in S. Gregorio Nazianzeno, ac proinde huic immerito a Gratiano tribuntur; cujus vero sint, incertum est.

R. 2°. Etiam commode exponi possunt de ordine quoad executionem.

Ad 5^{um}. R. 1°. Neque hæc verba in operibus S. Leonis ullibi reperiri.

R. 2°. Quicumque auctor sit, loquitur de gratia sanctificante, quæ utique in ordinatione simoniaca non obtinetur. Dum igitur ait dari spiritum mendacii, gratiam vult duntaxat excludere, cui illum opponit.

ARTICULUS X.

DE SUBJECTO ORDINATIONIS.

172. Ex hæreticis antiquis Marcum e Gnosticorum grege mulieribus potestatem fecisse Eucharistiæ consecrandæ testatur IRENEUS L. 1. cap. 9. Montanistæ, qui et Pepuziani, Cataphryges, Priscilliani nominati sunt, non tantum diaconissas, sed etiam presbyteras, imo episcopos ordinabant, ut videre est apud EPIPHANUM Hær. 49. et 79., AUGUSTIN. de Hæresib. cap. 27. Apud Collyridianos mulieres quolibet anno ac certa die B. Mariæ Virgini sacrificium, ac placentas offerre consueverant. EPIPHAN. Hær. 79. Ex Catholicis Doctoribus infantes esse incapaces ordinis censuit Durandus, et Tournely: invitum valide ordinari docuit Morinus, Vanroy cum paucis aliis.

173. *Dico I.* Subjectum capax ordinationis est solus, et omnis mas baptizatus.

Prob. 1^a. p. de solo masculino ex Script. Apostolus 1. Cor. 14. *Mulieres, inquit, in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Idem 1. ad Tim. 2. dicit: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Ex quibus satis patet, mulierem in nullo gradu ecclesiastico esse posse; qui enim constituti sunt in gradibus ecclesiasticis, his competit docere, loqui in Ecclesia, et habent auctoritatem et præminentiam in alios; Apostolus vero hæc negat mulieri, cam in statu subjectionis collocans.

Conf. Ex Traditione. A Christo enim qui in ultima Cæna nequidem sanctissimam Matrem suam, sed solos viros ordinavit, usque nunc nulla unquam mulier sive ab Apostolis, sive eorum successoribus ordinata fuit sacramentaliter. Imo sive naturæ legem spectemus, sive mosaicam, nulla unquam occurret mulier, quæ sacerdotio functa fuerit: Ecclesia autem insuper tanquam hæreticos semper habuit eos, qui sacerdotium mulieribus conferebant. Et ratio est; quia ordo, ex dictis, superioritatem et eminentiam importat; mulier vero statum subjectionis habet; *vir caput mulieris est*, ad Ephes. 5. non illa viri. Præterea ita condita est mulier, ut conveniens non sit ejus verecundiæ, fragilitati, etc. publice in Ecclesia ministeria habere; sacris altaribus adstare.

Ex his sequitur, nequidem tonsuram posse recipi valide a muliere, quia est præparatio ad ordines ecclesiasticos; igitur cum jure divino sit incapax ordinis, tanquam formæ, etiam incapax censi debet dispositionis ac præparationis ad formam. Eodem modo hermaphroditus repelli debet ab ordinibus, si in eo sexus femineus prævaleat. NAVARR. L. 1. Consil. Cons. 8. et alii. Plura de his Theologi morales.

Prob. 2^a. p. de masculino quolibet baptizato. INNOCENT. III. Unic. de Clerico per saltum promotus, consultus, quid agendum esset de clerico, qui minoribus ordinibus infra annos discretionis receptis, postea prætermissis dia-

conatu ordinatus erat in sacerdotem, jubet ordinari in diaconum, nulla mentione facta aliorum ordinum; ergo censebat hos valide collatos fuisse, ac proinde infantes esse capaces ordinis. Idem docet BENEDICTUS XIV. t. 1. Bullarii sui in Instruct. super dubiis ad Rit. Ecclesie; valide ordinari infantes, licet illicite. Et ratio ex D. THOMA in 4. Dist. 25. q. 1. a. 1. est: quia sacramenta, quae non in actu, sed potestate consistunt, absque suscipientis actu et consensu conferri possunt ex parte infantum: atqui ordo non consistit in actu, sed potestate, ut patet ex illius definitione; ergo. *Prob. Maj.* Potestas praecedit actum, atque ab hoc est independens, sicut causa praecedit effectum, nec ab eo dependet; sic ideo Baptismus et Confirmatio sine aliquo actu parvuli baptizandi, aut confirmandi dari possunt; ergo. Quod tamen non valet de sacramentis Poenitentiae et Matrimonii, quia horum sacramentorum essentia per actus proprios suscipientium constituitur. Porro exempla infantum ordinatorum plura Morinus affert p. 3. de sacram. ordinat. Exercit. 5. Martenius L. 1. de antiquis Ritib. cap. 8. a. 3.

Excipit S. Thomas q. 39. a. 2. item S. Bonavent. q. 2. a. 2. episcopatum. Ratio S. Thomae est, quia in episcopatu traditur potestas in corpus Christi mysticum, quae sine pastoralis cura esse non potest, et haec sine acceptantis actu nequit intelligi. Ratio S. Bonav. vero, quia per episcopatum contrahitur spirituale matrimonium inter Episcopum et Ecclesiam, ad quam consecratur; matrimonium autem spirituale est suo modo, sicut carnale, quod sine contrahentis consensu nullum est. Verum nihilominus idem sentiendum est de episcopatu, quod de sacerdotio respectu infantis, nam in episcopatu duo distingui debent, potestas, et velut habitus exercendi actus episcopales; deinde actus suscipientis pastorem curam animarum, et Ecclesiae, quacum contrahit spirituale matrimonium. Ad hoc posterius requiritur actus, vel consensus Episcopi; non ad primum; sumendo enim episcopatum pro potestate et velut habitu, non magis repugnat infantem fieri Episcopum, quam confirmari, quam habere fidem, charitatem, cujus nondum possit exercere actus; sicque explicandus est Doctor Angelicus cum D. Bonaventura.

Eadem est ratio de perpetuo amentibus, quae de infantibus, quibus aequiparantur; unde etiam sicut infantes baptizari possunt. Dixi: *perpetuo amentibus*: nam de amentibus aliis, qui ante amentiam habuerunt rationis usum, distinguendum est: vel enim, antequam in amentiam incidere, contestati sunt, se nunquam velle ordines suscipere; vel istos petierunt; vel neque petierunt, neque positive rennerunt. Si primum; nec valide ordinantur; quia intentionem positive oppositam, quam habuerunt, adhuc habere censendi sunt; et si hoc dici debet de baptismo, ac fortiori de ordine. Si secundum; affirmative concludendum est propter rationem oppositam. Si tertium; Cajetanus sentit ordinationem valere; quia in cap. *Majores*, de baptismo dicitur: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem.* Atqui in illis, qui nec petierunt, nec rennerunt, non invenitur obex contrariae voluntatis obsistens; ergo. Sed tenenda est communis Doctorum sententia, ordinationem in hac hypothesis non valere; quia tales amentes non debent absolute considerari ut infantes; sed computandi sunt cum adultis, in quibus propterea aliquis actus, vel consensus positivus esse debuit.

Unde ad rationem Cajetani R. N. *min.* Nam per *obicem voluntatis contrariae* non tantum dissensus positivus; sed etiam sola carentia consensus debet intelligi; quia Innocent. III. cit. cap. non tantum exigit, ut recipiens non habeat positivum dissensum; sed expresse aliquem positivum consensum, saltem perseverantem requirit: duo enim ibi definit: dormientes et amentes non recipere characterem, si ante habuissent propositum contrarium: et contra: eos recipere, si habuissent tale propositum; ait enim: *Secus autem si prius catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi, hoc est baptismum suscipiendi.* Ergo cum immediate inferat: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem,* per obicem contrariae voluntatis non tantum positivum dissensum intelligit, sed etiam solam carentiam consensus; huic enim consensus positivus opponitur, quem Pontifex expresse requirit. Unde summarie sensus verborum Innocentii est is: cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem, sed voluntatem in consensu perseverantem. Et vero alias inepta esset Innocentii illatio: *Tunc ergo,* etc. quia non responderet duobus membris praecedentis ejus definitionis, ex quibus tamen deducta est.

Dixi in concl. *baptizatus.* Ex communi enim sensu Ecclesiae, SS. Patrum et Theologorum baptismus janua et fundamentum est aliorum sacramentorum, sive ut ait EUGENIUS IV. in Decreto: *primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, et de corpore efficitur Ecclesiae.* Sed sine janua non intratur; nec sine fundamento superaedificatur. Deinde baptismus est nativitas spiritualis juxta Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto,* et juxta S. THOMAM 3. p. q. 72. a. 6. Sicut ergo, qui corporaliter natus non est, nullius actionis aut passionis est capax secundum corpus: ita qui spiritualiter regeneratus non est, nihil potest agere, vel recipere secundum spiritum. Unde c. *Si quis,* de presbytero non ordinato dicitur: *Si quis presbyter ordinatus deprehendat se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.* Idem definit Innocent. III. c. *Veniens,* ibid. Et olim Nicenum I. statuerat can. 19. jubens Paulinianistas, qui non servabant formam baptismi, rebaptizari, et ab iis ordinationes reordinari.

174. *Dico II.* Absolute inviti ordinatione omnino invalida est.

Prob. INNOCENT. III. cap. *Majores*, de Baptismo, expresse definit, quod *ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipiat sacramenti.* Quod magis quidem de ordine, quam de baptismo, de quo quaerebatur, affirmari debet; cum baptismus sit ad salutem absolute necessarius, non sic ordo; et ex alia parte graviora onera sint annexa ordini: quanquam in eod. cap. explicite id etiam de ordine dicat, cum eorum asserat esse refellendam sententiam, qui dicunt, quod *sacramenta, ut baptismus et ordo, non solum dormientibus et amentibus; sed invitis, et contradicentibus; eisi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferantur.* Vid. Tr. de sacrament. in genere cap. 2. art. 8.

175. *Obj. I. cont. concl. 1^{am}.* Inter Leonem IV. et Benedictum II. femina quaedam, nomine Joanna, fuit ordinata in Pontificem; ergo. *Prob. Ant. Hoc*

enim testantur plures Doctores Catholici, qui id scriptis suis tradiderunt, ut 1°. Marianus Scotus in Chronico Francofurti edito, in quo inquit : *Leo Papa obiit calendis Augusti; huic successit Joanna mulier*, etc. 2°. Sigebertus in Chronico ad annum 854. 3°. Martinus Polonus. 4°. S. Antoninus p. 2. Chron. lib. 16. cap. 1. Platina L. de Vitis Pontificum, in Joanne VIII. *Conf. ex aliis monumentis* : 1°. Ex statua marmorea præferente mulierem cum infante, quæ posita erat ad viam, in qua Joanna peperisse dicitur, quam statuam tandem Sixtus V. jussit dejici. 2°. Simile simulacrum inter Romanorum Pontificum statuas Senis in majori templo collocatum erat, et perstitit usque ad Clementem VIII. 3°. Pontifices hodieum adhuc, dum in Lateranum se conferunt, declinant illam viam, in qua Joanna pepererat, licet sit brevior; nimirum ex detestatione turpissimi illius facti.

R. 1°. Si hæc vera essent, maximus quidem error contigisset; decepti fuissent electores et episcopi illam consecrantes; sed nihil in ordinatione contulissent; decepta etiam fuisset illa mulier, quæ sexum mentiens nihil recepisset. Sed

R. 2°. *N. Ant.* quod est merissima fabula (vid. ap. Labb. t. 8. p. 154. et seqq. opusculum cui titulus : *Cenotaphium Joannæ papissæ nuper ab herodoxis... ex Utopia in Europam revocatæ, eversum funditusque excisum demonstratione chronica ineluctabili*). *Primo*; quia inter Leonem IV. et Benedictum III. neminem mortalium tenuisse Sedem Romanam tradiderunt omnes Scriptorum antiqui et cœvi, Lupus Ferrariensis epist. 103. ad Benedictum III., Ado Viennensis in Chronico ad annum 855., Anastasius Bibliothecarius in vita ejusdem Benedicti, Annales Bertiniani ad an. 855., Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui epist. 26. refert se misisse legatos ad LEONEM IV. qui, cum audiissent in itinere, eum obiisse, iter tamen perfecerunt, et a BENEDICTO ejus successore rescripta obtinuerunt. *Secundo*; quia ipsi hostes Romanæ Ecclesiæ et Romanorum Pontificum, Benedictum III. Leoni IV. immediate successisse fatentur, ut Blondellus Minister Calvinianus in Dissertatione, quam ea de re habuit, fabulam eam vocat. Photius L. de Spiritu sancti processione contra Latinos; item Metrophanes Smyrnenensis post Leonem immediate in serie Romanorum Episcoporum Benedictum collocant. *Tertio*; quia Scriptorum, qui hanc fabulam referunt, inter se ipsos pugnant: nam Martinus Polonus feminam illam vocat Joannem Anglicum, et natam ait Moguntia, quæ tamen urbs Germaniæ est; alii dicunt natam in Anglia, sed a parentibus Moguntinis. Platina e contra natam Moguntia, sed ex parentibus Anglis. Magdeburgenses solum in Anglia educatam fuisse contendunt. Taceo id genus contradictiones alias, quibus abundat ea fabula; cum et hostes Romanæ Ecclesiæ ipsos pudeat porro istius meminisse.

Ad prob. Antec. R. D. Ita tradiderunt partim decepti, partim ex vindicta in Romanum Pontificem; partim quod alii interpolarent, et hæc fabula depravarint eorum scripta; partim dubitanter ita tradiderunt *C. secus N.* Responsio patet ex subjectis. Nam, quantum ad Marianum Scotum, non reperitur ea fabula in codicibus ejus antiquioribus, ut testatur, qui Colonia 1574. typis edidit, et notis illustravit Metropolitani Alberti Kranzii. Similiter in Sigeberti Chronico autographo, quod asservatum in monasterio Gemblacensi in quo Sigebertus monachum egerat, et testatur Joannes Molanus Doctor Lovaniensis, non extat illa fabula, sed addita est Sigeberti Chronico aliena

manu. Item non reperitur in codice manuscripto Martini Poloni Bibliothecæ Vaticanæ, ut testatur Leo Allatius: pariter in quodam codice, qui servatur in Anglia, solum in margine legitur ea narratio, et descripta aliena manu, diciturque Joannam puellam petiisse Athenas, ut litteris vacaret, ibi biennio docuisse, et postea communi suffragio fuisse electam in Pontificem et effectam gravidam, quæ nemo non fabulosa videt; verius igitur dicendum superest, ipsius codicem fuisse corruptum. S. Antoninus vero ab interpolatoribus Martini Poloni deceptus fuit, quos descripsit; eadem enim verba, quæ illi, habet. Deinde refert illa dubitanter; ait enim: *si verum fuit, quod vulgo dicitur*, etc. Platina non est audiendus: conjectus fuerat a Paulo II. in carcerem; et indignationem suam in Romanos Pontifices exercere aliquando voluit: imo et ipse rem assertive non profert; sed dicit: *hæc, quæ dixi* (de Joanna Papissa), *vulgo circumferuntur, incertis tamen et obscuris auctoribus*.

Ad Conf. R. Ex his monumentis plane nihil evinci; nam primo statua illa Romana nec mulierem representabat, nec infantem, sed puerum jam grandiosem, vel juvenem, ut observarunt rei antiquariæ periti, inde colligentes, per statuam illam vel numen quoddam gentilium, vel sacerdotem ethnicum designari cum ministro; præsertim quod altera manu palmæ ramum deferret, quod nunquam fuit insigne Romanorum Pontificum. Sublata vero fuit ea statua a Sixto V. non ad delendam memoriam Joannæ Papissæ, quasi ea aliquando egisset Pontificem; sed ut viam eam faceret rectiorem et majorem ad ornamentum Urbis, sicuti plures alias fecerat. *Secundo* statua Senensis equidem Papissam referebat, sed hoc aut Senensium, aut sculptorum licentiæ tribuendum, vel errori. Denique tota fabula originem traxisse videtur, ait Henno, a Joanne XII. apud quem magna pollebat gratia femina quædam, Joanna nomine, ut ejus auctoritate multa faceret Pontifex; quam proinde vulgus Papissam vocabat; sicque tandem crescente sensim fama, ut fit, ab aliis ex errore inter Papas numerata fuit.

176. *Obj. II.* Mulieribus convenire potest jurisdictio; ergo. *Prob. Ant.* Abbatissa monasterii fontis Ebraldi in Gallia dicitur etiam sui ordinis monachis præesse, inque eos exercere jurisdictionem. Abbatissa de Brubrige canonicas suas et clericos suæ jurisdictioni subjectos propter eorum culpas officio et beneficio suspendit, ut colligitur ex c. *Dilecta*, de Majoritate et Obedientia; ergo etiam ordinis capaces esse possunt. Adde: mulieres possidere beneficia ecclesiastica; instituere clericos in beneficiis; lectiones publice in Ecclesia recitare; psallere in choro.

R. D. Ant. Jurisdictio ecclesiastica *N.* politica et civilis *C.* Datur hæc subinde mulieribus in defectu hæredum masculorum. Olim etiam Debora ex commissione extraordinaria habuit.

Ad prob. R. D. Dicitur præesse dominio œconomico *C.* jurisdictione ecclesiastica proprie dicta, et alienjus ordinationis virtute ipsi communicata *N.* Alias posset etiam excommunicare, suspendere, aliasque censuras ferre in personas sibi subditas, quod falsissimum est. Item, abbatissa de Brubrige clericos suspendit facto et irrita effectu *C.* jure *N.* Unde Honorius III. cap. *Dilecta* cit. abbati de S. Michaeli Abradensi scribit, ut ipse clericos censuris ecclesiasticis ad reverentiam Prælatæ debitam compellat; *ne iidem confisi ex eo, quod eadem abbatissa eos excommunicare non possit, eorum excessus rema-*

neant incorrecti. Unde patet mulieri concessum non esse, ut excommunicationem ferat, et ita suspendat, ut inducatur irregularitas, sed hoc abbati commissum esse, et in abbatisa fuisse solam præcipiendi facultatem.

Quod vero beneficia ecclesiastica possideant; tantum probat, Ecclesiam ex bonis suis potuisse illis aliquid, unde viverent, largiri. Clericos aliter in beneficiis non instituunt, quam eos præsentando, vel nominando, cujus juris etiam laici capaces sunt. Lectiones recitant, in choro psallunt, non tanquam publici ministri in Ecclesia, sic, ut testatur Philo Hebræus L. de Vita contemplat. olim alternis choris cantabant viri ac mulieres in Ecclesia Alexandrina; nec mulieres illæ aliquam acceperant ordinationem: quem ritum postea in Sabellio et Pelagio damnavit Ecclesia, ut legitur in Hier. L. 1. adversus Pelagianos; eumque reprobavit in sanctimonialibus Innocentius II. in Concil. Rom. can. 17. *ne scilicet, sanctimoniales simul cum canonicis, vel monachis in Ecclesia in uno choro convenient ad psallendum: quem canonem refert Gratianus caus. 18. q. 2. c. Perniciosum.* Sic etiam hodie laici in templis cantant, et presbytero celebranti inserviunt.

177. *Obj. III.* Erant olim in Ecclesia episcopæ, presbyteræ, diaconissæ; ergo.

R. *D. Ant.* Sic dictæ, quia erant ordinatæ sacramentaliter *N.* alio in sensu *C.* Sic enim vocabantur, quia erant uxores eorum, qui ad episcopatum, presbyteratum, diaconatum assumebantur; hocque sensu eas ita vocat Conc. Turonense II. can. 13. (Labb. t. 5. p. 855. C. D.) Antissiodorense can. 21. (ibid. p. 959. D. E.) Romanum anno 721. cap. 1. (ibid. t. 6. p. 1456. C.) Tenebantur autem vel religiosam professionem emittere in monasterio, vel, si manere vellent in seculo, vivere castitatem, ut præscribunt Concil. Antissiodor. et Roman. cit. et alia. Presbyteræ etiam quandoque dicebantur viduæ seniores, presbyter enim seniore significat; et hoc sensu sumuntur a Concil. Laodicensi, quod refertur c. *Mulieres*, Dist. 32. Diaconissæ ad certa munia deputabantur, de quibus vide supra n. 84.

178. *Obj. IV.* Ad validam sacramenti susceptionem requiritur aliqua intentio susipientis: atqui infantes nullam habent; primo non habent propriam, ut patet; deinde nec alienam parentum; horum enim voluntas non censetur esse voluntas infantium; nisi in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, sicut baptismus; ordo autem sic necessarius non est; ergo.

R. *D. Maj.* Si suscipiens sit adultus *C.* tunc enim in eo requiritur intentio propria, positiva, saltem habitualis, juxta Tr. de Sacram. in genere. Si sit infans *N.* Nam hic, licet dissentiant parentes, baptizatur saltem valide, confirmatur; ergo etiam sic ordinatur.

179. *Inst. 1.* Ergo sicut infans baptizatus postea ad observantiam legis Evangelicæ, ita etiam ordinatus legibus et obligationibus Clericorum teneretur; sed durum est aliquem sine habito ejus consensu obligare ad statum, cui gravia sunt annexa onera, ut statui clericorum majorum perpetua continentia, etc.

R. *N. Illatum; vel D.* Si ordinatus infans, quando adeptus est annos discretionis, velit abstinere functionibus ordinis *N.* si has exercere velit *C.*

Ita *BENED. XIV.* cit. in concl. Liberum igitur est infanti ordinato, cum ad annos discretionis pervenerit, vel exercere functiones sui ordinis, vel his abstinere: si abstinere voluerit, ad continentiam obligari non potest; nec ideo desinit esse ordinatus, quia manet in eo character; ex altera autem parte continentia est annexa ordinibus majoribus solum ex institutione Ecclesiæ. Deinde inter baptizatum et ordinatum *disparitas est*: infans baptizatus postea ad legem Evangelicam tenetur, quia hujus observantia est ad salutem necessaria; non sic functiones ordinis.

180. *Inst. 2.* In infantibus nequit esse vera forma ordinationis; ergo. *Prob. Ant.* Forma partialis est: *Accipe potestatem, etc.* Atqui nulla potestas accipitur sine accipientis consensu, et hic non est in infantibus.

R. *N. Ant. Ad prob. N. min.* Quia hæc potestas non datur infanti per modum donationis, vel contractus, in quo accipientis vel donatarii consensus exigitur; sed per virtutem characteris episcopalis, ubi recipiens se tantum passive habet; hinc *accipe* potius dantis imperium significat, ut notat S. Bonaventura q. 2. a. 2. ad 2. ad cujus impletionem satis est in altero pura capacitas passiva.

181. *Inst. 3.* Ergo infans in cunis posset dici Episcopus, sacerdos; sed hoc est absurdum.

R. *N. min.* Nam hæc denominatio non ab actibus et exercitio istorum ordinum oritur; sed impresso caractere, et potestate collata in ordinatione. Sic infans baptizatus dicitur fidelis a fide habituali; confirmatus, miles Christi, non a professione fidei intrepida actuali.

182. *Obj. V. cont. 2^{am} concl. 1^o.* Flavianus Antiochenus Macedonium Eremicolam in vertice montis, postquam hunc arte ex montis solitudine ad se pertraxisset, eum etiam inscium ordinavit; nam, ut ait Theodoret. in Philotheo seu religiosa historia cap. 43. (opp. t. 3. p. 835.) Flavianus Macedonii sanctitatis permotus, eum per speciem objectæ accusationis ad se advocavit; et *sub mysticum sacrificium altari admovit, cooptavitque in numerum sacerdotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicasset (ignorabat enim prorsus, quid egissent) primum quidem convitiis, verbisque asperis proscidit universos; deinde arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum, et alios insecutus est... sed tum quidem sic indignantem, ægre tandem amici quidam sedaverunt.* Ergo Macedonius non tantum inscius de ordinatione sui, sed etiam invitum quoad illam fuit. 2^o. S. EPIPHANIUS, ut habetur in ejus epist. ad Joannem Hierosolymit. (inter epistol. S. Hieronymi 110., alias 60. et 51.) Paulianum fratrem S. Hieronymi ordinavit invitum; nam *per multos diaconos, ait S. Epiphanius epist. cit., eum apprehendi jussimus, et teneri os ejus; ne forte liberari cupiens, adjuraret nos per nomen Christi.* Ergo. Ubi

Observandum, posse aliquem esse invitum dupliciter: primo absolute, ut nullis minis, vel hortationibus adduci possit, ut ordinationi consentiat, aut etiam sit omnino inscius ordinationis suæ, vel ignarus illius ritus, qui in ordinatione celebratur: atque huic ordinationi nequidem valide conferri potest. Talis fuit Macedonius ille, ac proinde irrita fuit ejus ordinatione: nec

probatur plerisque illud Flaviani, quamvis coram Deo innocenter egerit, quod putaret, nec adeo invitum, nec adeo ignarum ritus fore Macedonium. *Secundo* ita, ut ex sola humilitate, et in sacros ordines reverentia hos refugiat; nec nisi precibus, vel imperio, hortationibus impellatur, et tandem intus consentiat, de quo genere Augustin. epist. 173. (al. 204.) ad Donatum ait: *Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Hæc ordinatio est valida, quia tales consentiunt, licet victi precibus et minis. Et sic se res habuit in ordinatione Pauliani; nam, ut ait Epiph. epist. cit. in ordinationem consensit: *valde obnitebatur, indignum se esse contestans; vix ergo compulimus eum et persuadere potuimus testimonii Scripturarum, etc.* ergo re ipsa persuaserat Pauliano, isque consenserat. Sic explicat ordinationem Bassiani, qui epist. ad Valentinum et Marcianum imperatores, quæ habetur Act. 41. Concil. Chalcedonensis, ait se jussu Memnonis plagis fuisse compulsus ad recipiendam ordinationem: (Labb. t. 4. p. 668. D.) *Ego autem non acquiescebam, ab hora tertia usque ad sextam me plagis afflixit, et sanctum Evangelium, et altare sanguine est impletum, etc.* sed tandem victus consensit. Sic quoque ait Cyprian. epist. 52. ad Antonian. de ordinatione Cornelli in Romanum Pontificem: *ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet; nihilominus consentiendo.* Eadem est responsio ad facta similia. De cæteris dispositionibus requisitis ex parte subjecti satis agitur in Theologia morali.

ARTICULUS XI.

DE CONTINENTIA SACRIS ORDINIBUS ANNEXA.

183. *Nota.* Quænam sint clericorum officia, ea ex assignatis materiis et formis singulorum ordinum satis patent. Hic de eorum obligationibus agitur. De harum plerisque, ut recitatione horarum canonicarum, ferenda tonsura et habitu clericali, ac aliis spectantibus vitam et honestatem clericorum tractat Theologia moralis; unde hic loquemur solum de obligatione servandæ continentie.

Circa clericos minores videtur olim fuisse in Ecclesia quædam disciplinae varietas; nam Carthaginense V. c. 3. anno 398. postquam sacros ministros obstrinxisset ad continentie observantiam, de minoribus ait (Labb. t. 2. p. 1215.) : *Cæteros autem ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesie consuetudinem observari debere.* Prius vero Carthaginense III. can. 19. sic statuerat (Labb. t. 2. p. 4070. B.) : *Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis advenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* In Concilio etiam Eliberitano anno 305. can. 33. (Labb. t. 4. p. 974. C.) æquali modo continentia clericis cæteris, quo constitutis in sacris, sive majoribus ordinibus imponitur. Sed ea varietas tandem ita finem accepit, ut possint, si voluerint uxores ducere, dummodo ab officio excluderentur, ut statuit Alexander III. c. 3. de Clericis conjug. et Innocent. III. c. 7. quod hodie etiam servari videmus.

Restat igitur quæstio de ordinibus sacris, sive majoribus, eaque multi-

plex: 1^a. An iis annexa sit obligatio servandi continentiam? 2^a. Quo jure; an divino, an ecclesiastico? 3^a. An, si ex jure ecclesiastico, hæc obligatio oriatur immediate ex lege, an ex voto? 4^a. An Ecclesia continentiam sacris ordinibus recte et convenienter adjunxit? 5^a. A quo tempore adjuncta fuerit, et an etiam olim in Ecclesia græca?

184. *Dico I.* In Ecclesia latina clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, hoc est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus ad perpetuam tenentur continentiam, adeo ut ordine sacro suscepto nec possint contrahere matrimonium, nec matrimonio uti, si quod ante susceptionem sacri ordinis contraxerint.

Prob. Ex Trid. quod Sess. 24. can. 9. sic definit: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit.* Idem ante Trid. Innocentius II. c. *Ut lex*, Caus. 27. q. 1. statuerat declarans hujusmodi copulationem, quam contra legem ecclesiasticam constat esse contractam, non esse matrimonium. Et Callixtus II. innuit c. *Presbyteris*, Dist. 27. Alexander III. vero c. *Conjugatus*, de Convers. Conjug. absolute prohibet quemquam conjugatorum promoveri ad sacros ordines, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. Hinc lex continentie in Ecclesia occidentali tria exigit: primum; ne conjugatus initietur, nisi voveat uxor perpetuam continentiam. Secundum; ut sacris initiatus uxorem non ducat, quam etiam invalide duceret. Tertium; ut abstineat omnibus actibus venereis, etiam cum conjugate, si quam ante duxisset.

185. *Dico II.* Obligatio, quam habent majores clerici, servandi continentiam, non est ex jure nature, nec ex jure divino; sed solum ex jure ecclesiastico. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 11. Theologi satis communiter.

Prob. Primo enim matrimonii usus ex se non pugnat cum sacro ordine, ut patet ex Græcis, qui ex dispensatione Ecclesie licite utuntur matrimonio ante susceptionem sacri ordinis contracto, ut liquet ex c. *Aliter*, Dist. 34. Corr. Rom. et Concilio Florentino, in quo nemo id Græcis objecit. Concilium Ancyranum vero potestatem uxorem ducendi fecit diaconis iis, qui in ordinatione protestabantur se continentiam servare non posse. Atqui hæc omnia non subsisterent, si obligatio servandæ continentie descenderet ex jure nature, vel divino.

Deinde tale jus divinum nequit assignari sive scriptum, sive traditum; si quis enim locus Scripturæ proferri possit, is ad summum ostendit continentiam clericis esse congruam, non imperatam. Talis est 2. ad Tim. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Vel dum idem Apostolus Titum hortatur ad continentiam cap. 4. *Oportet Episcopum sobrium esse, justum, sanctum et continentem, etc.*: item Timotheum 4. ad eumd. 5. *Te ipsum castum custodi, sumit continentiam pro abstinentia ab omni illicita voluptate, quæ utique juris divini est, sicut abstinentia ab omni intemperantia et injustitia, iracundia, etc. quæ hic Apostolus conjungit; illaque continentia conjugatis et solutis æque præcepta est. Non vero intelligit continentiam ab uxoribus. Et ratio est, quia sic 1. ad Tim. 4. eum vult esse exemplum fidelium in charitate, in fide, in castitate; at certe non ita, ut*